



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi  
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

**Eyschen, Georg von**

**Coloniæ, 1655**

§. 195. Et venerunt in locum qui dicitur Golgatha, quod est Calvariæ locus.  
v. 33.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45515**

niæ, & supplicii, ibidemque extremū mortis lueret instar pessimi latronis, & seductoris per Crucis scandalū, inventum Ethnicum Simonē nomine angariaverunt, ut tolleret Crucē cum Iesū, non enim ipsi volebant tangere Crucem, quia habebant pro maledicto, si quis vel tetigisset juxta legem Moysis (Deut. 21.) *Maledictus qui pendet in ligno:* & Ethnicis, ut ait Paulus ad Galac. 3. *erat scandalum.* ergo nec Iudæi nec Ethnici sponte volebant iuvare Christum, ita factum est, ut Principes Iudæorum, per milites angariarent eum publici servitii jure & debito, ut nolens volens iuvaret Christum, non intentione pia ut aliquod inde solamen acciperet Dominus, sed ne deficeret, & moretur antequam veniret ad montem Calvariæ & Cruci affigeretur in maiorem Christi despectum, & tormentum. Pulchrè hic nobis variæ personæ signantur, quæ Crucis mortificationem fugiunt, horum primi sunt Ethnici, & Iudæi qui non credunt, sed negant potius meritum Crucis, & mortificationis propter Deum & iustitiam ejus: alii Crucis mortificationem ludibrio habent, ut Calviniani, alii ob timorem laboris, quia carni repugnat & gravat, cum crucem portant mortificando eam ut multi Catholici & hi sapius pro salute animæ angariari debent præceptis Ecclesiæ, & Episcoporum &c. Sacerdotum seu Pastorum, quibus suppetias fert ipse Deus sæpissime, per variâ tribulationes & infortunia, ut tollât Crucem Iesu post ipsa n. sed quis mihi hic dabit fontem lachrimarum, ut defleam sortem ipsorum, qui ducunt in bonis dies suos, fugientes Crucem; quorum Deus venter est, & in momento descendunt in infernum!

**O** Bone Iesu dulcis Iesu, qui ita amas Crucem, ut è cælo descenderis propter eam portandam in hanc mundi sentinam, propter eum amorem, da & mihi gratiam hanc specialem, ut tecum amem portare Crucem; & ecce hoc ipso momento offero me ad quamcunque Crucem portandam pro gloria tua & pro mea salute.

S. 195. *Et venerunt in locum qui dicitur Golgatha, quod est Calvariæ locus. v. 33.*

Locus hic primò vocabatur Golgatha, id est Calvariæ locus secundum S. Hieronymum, quod ibidem capita damnatorū truncarentur, & hinc eorum capita dispersa iacerent vel affixa rotis aut postibus hærent; nec mysterio caret nomen hoc bene siquidem in loco ossium humanorum mortuus est Christus, ut sua morte vitam eis compararet, quod prædixit Ezech. c. 37. ossa arida sc. vivificanda in campo ossibus pleno: ibi factus tonitus petrarum, ibi commotio terræ, ibi accesserunt ossa ad ossa, cum multa sanctorum mortuorum surrexerunt corpora: & maximè, quia juxta multorum Patrum opinionem, Adam primus omnium parens ibi sepultus iacebat: ut

R

sicut

sicut in Adam omnes moriuntur, ita in Christo omnes vivificarentur, & in illo loco, qui dicitur Calvaria locus, id est locus capitis, caput humani generis resurrectionem inveniat cum populo universo per resurrectionem Salvatoris qui ibi passus est, & resurrexit. unde S. Ambrosius in Lucam, *congruebat ut ibi vita nostra primordia locarentur, ubi fuerunt mortis exordia*: ubi ergo iacuit saucius, qui descendens ab Hierusalem in Iericho, cum incidisset in latrones, laesus est ibi merito offendit eum medicus & infudit ei oleum & vinum.

**O** Bone Iesu ecce hic locus ille desideratus à te, post casum Adami primi Parentis & filiorum ejus ut ibi medicinam ferres: ecce hic locus sacrificii & oblationis ad placandam iram Patris, ecce hic locus saucii Samaritani, & peccatorum omnium. Tu igitur in hoc loco esto oblatio nostra, placatio nostra apud Deum Patrem ut in sanguine tuo hic effuso omnes lavemur, omnes sanemur à peccatis & iram quam peccando succendimus graviter, hic tu mitiges, hic nos reconcilies, ut tecum valeamus cum Patre in æternis montibus quandoque habitare & lætari.

§. 196. Et dederunt ei Vinum bibere cum felle mixtum. v. 34.

Unus in corpore Christi restabat sensus vel organum, quod nunquam passum fuerat aliquid singulare, eius scilicet lingua, ut igitur & illa pateretur, dederunt ei vinum felle mixtum in summa sua siti & ariditate, ita ut bene posset probari Christum in omnibus suis membris passum fuisse, nullo exempto, & pro nobis quidem qui in omnibus membris peccamus quotidie & peccavimus: si enim solum vinum dedissent, lingua sensisset aliquid forte refrigerium, in tantis tormentis & siti, sed ut nec illud habere posset quidem in extremis, (quod tamen nulli reo ad supplicium negatur) miscerunt iniqui fel & portexerunt ei, quod fel amarissimum gustum habet, naturæ humanæ contrarium, quia in sua substantia valde exolum est in odore, & sapore amarum, nec sine mysterio crede hoc ita factum. voluit enim Dominus Iesus Salvator noster & in siti & lingua pati ad extinguenda tam turpia & enormia peccata iuramentorum, detractionum, gulæ, ebrietatum, commestationum & aliorum quæ per linguam exercentur vitiorum, quorum Alphabetum exhibet, Drexelianus Orbis Phaethon, ut inde sumeremus exemplum & horrorem, non abutendi lingua sive in sermone sive in gustu, unde Iesum Salvatorem offēderemus, sed jugiter teneremus reminiscētia Christi amarissimum potum, & desisteremus ab omni peccato linguæ & gulæ: & illi quidem, juxta revelationem S. Birgittæ dant Christo Domino fel bibere, qui gaudent in peccato perpetrato, nec descendit in corda eorum cogitatio, quam grave sit & multiplex delictum suum.

Q. misc-